





42

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**INTERPRETATIONE**  
LEGIS DVBLIAE,  
QVA VALOR HYPOTHECARVM TACITARVM  
ANNO HVIVS SECVLI TRIGESIMO QVARTO  
RESTITVTVS EST.

1798.

QVAM  
**ILLVSTRIS IVRISCONSVLTORVM ORDENIS**  
AVCTORITATE  
IN PERANTIQVA ELECTORALI VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI  
PRAESIDE  
**DN. IO. IVSTINO WEISSMANTEL, IC<sup>TO</sup>,**  
FACVLT. IVRID. ASSESSORE, PANDECTARVM PROF. PVBL.  
ORDIN. ET CIVITATIS CONSULE SENIORE  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
**IN VTROQVE IVRE LEGITIME**  
CONSEQVENDO

H. L. Q. C.

DIE II. MARTII MDCCCVIII. *Winkelfuer?*  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A V T O R

*AVGVSTVS CAROLVS ASTER,*  
*ZIEGENRUEGENIUS.*

ADVOCATVS IMMATICVLATVS.

EREORDIAE,

TYP. IOAN. CHRIST. GOERLING, ACAD. TYPOGR.



**Q**uanquam plurima sunt ciuitatibus, ut earum fini satisfiat, expetenda, haud tamen scio, an ullum aliud bonum, quod arte ciuili inter homines comparari potest, iuris certi beneficio anteferendum sit. Etenim in maximo, quo philosophi agitantur, de summo societatum ciuilium fine opiniorum dissensu<sup>a)</sup>, hoc saltem in confessu est, ob eam maxime causam, ut iura ipsorum salvia atque integra seruentur, homines in ciuitates congregari. Hic enim ciuilis coniunctionis finis rationis praeceptis sine dubio conuenit, eiusque assequendi studium tantum non semper homines in regna compulisse, historia testis est. Neque tamen iste perfici poterit, nisi, quid iuris ciuius competit, quid quisque ab altero postulare possit, extra omnem dubitationis aleam possum sit. Itaque historia atque experientia testante maxima mala in ciuitatibus oriuntur, si legibus ad causas ciuium decidendas minus sufficientibus vntur. Nonne enim arbitrium iudicium, quo nulla grauior pestis iudiciorum administrationem insicere potest, in litibus dirimendis regnare necesse est, si legum aut obscuritas, aut defectus, aut ni-

mia

a) cfr. WILLHELM praes. KOHLSCHÜTTER de fine societatis ciuilis. Viteb. 1793.

mia forte, ut animo comprehendi non possint, copia legitimam causae decisionem impedit: quod ipsum apud Romanos olim ante iustinianeam legum emendationem iuris statutum miserrimum reddidit, ideoque, ex ipsis IUSTINIANI in constitutione de confirmatione digestorum testimonio, in causis fuit, quae, ut romanam sanctionem ab urbe condita usque ad sui imperii tempora, intestinis proelii vacillantem, in unam consonantiam reducere <sup>b)</sup> studeret, eum commorerunt. Nonne litium multitudo, qua et publica ciuitatis salus et priuatae singulorum fortunae multis modis conturbantur, in infinitum crescat, si iura civilia ita comparata sint, ut, quod Academicorum inuentum a Iureconsultorum seueritate alienissimum est, in utramque partem de ipsis disputare, adeoque, quacunque lite alteram lacescere velis, legem, qua intentionem tuam firmes, facile reperire possis.

## §. 2.

Pessimi huius effectus, necessaria quasi consecutione ex incerto juris statu profluentis, luculentissimum exemplum itidem romana ciuitas praebat, quo tempore Iureconsultorum scripta mirum in modum a se inuicem discrepancia nullo discrimin'e habito legalem auctoritatem in foris obtinebant <sup>c)</sup>: idque celebratissimani VALENTINIANI III. orationem

<sup>b)</sup> Haec sunt legitima ipsius verba in principio Constitutionis allatae.

<sup>c)</sup> AMMIANI MARCELLINI testimonium denuncio, L. XXX. cap. 4.

tionem <sup>d)</sup> tum protulit, quam, etiam si, ut IUSTINIANVS agnouit <sup>e)</sup>, a summa iuris atque aequitatis regula mirum in modum deflecteret, lubricam tamen, quae isto tempore erat, iuris administrandi viam aliquantum emendasse concedendum est.

§. 3.

Porro, iure ciuitatis incerto existente, Iureconsultorum oracula non possunt non in sententiis ferendis in diuersas plane partes discedere. Sic vero litigia, quod minime omnium optandum est, immortalia fiunt. Quis enim, nisi plane sit vecors, dum remedium superest, quod aduersus pronunciationem iudicis adhiberi possit, in indicato acquiescat, cum alia iudicium collegia, certa iuris regula deficiente, diuersam sententiam amplecti aut certo sciat, aut probabilitate saltem sperare possit. Ob hanc vero causam quotidie

A 2 fieri,

<sup>d)</sup> Fragmentum, quod huius loci est, (nam plura legis ad diuersa capita spectantia fragmenta in vitroque codice superfunt, quae collegit BACH in historia iurisprud. rom. L. 3. cap. 4. sect. 2. §. 3. nos. f). reperitur in titulo Codicis Theodosiani de responsis prudentium.

<sup>e)</sup> nam in constitutione, Deo auctore etc. §. 6. hanc profert sententiam: neque ex multitudine auctorum, quod melius et aequius est, iudicatore, cum possit unius forsitan et deterioris sententia et multas et maiores in aliqua parte superare. cfr. HÄVBOULD de emendatione iurisprudentiae ab Imperatore, Valentiniano III. instituta. L. 1796.

fieri, ut controviciae iudiciales maximo cum litigantium  
damno protrahantur, nemo negabit, nisi qui in foris nostris  
plane sit hospes. Et nonne verendum est, ut homines ve-  
hementioris animi et viribus confidentes, dum dubios li-  
tium exitus extimescant, ea, quae sibi ab aliis deberi existi-  
mant, vi atque manibus extorquere, quam iudiciali ordine  
persequi malint: qua re ob incertum, qui tum erat, iuris  
patrii statum medii aevi temporibus, saepe profecto esse-  
ctum est, ut locum haberet ENNIANVM illud:

*pellitur e medio sapientia, vi geritur res,  
spernitur orator bonus, horridus miles amatur,  
haud doctis dictis certantes, sed maledictis,  
miscent inter se inimicitias agitantes,  
non ex iure manum consertum, sed mage ferro  
rem repetunt — vadunt solida vi f).*

#### §. 4.

Quo vero maiora sunt detrimenta, quae ciuitati immi-  
nere vidimus, si iure parum certo vtatur, eo diligentius  
rerum publicarum antistites curare conuenit, ut leges, quas  
subditis praescribunt, partim ita clarae atque perspicuae  
sint, ut de ipsarum sensu nulla dubitatio moueri possit,  
partim vero etiam, omni iudicis arbitrio remoto, explosis  
prae-

f) GELLIVS Noct. attic. l. 20. c. 10.

praeterea consuetudinum tricis <sup>a)</sup>), ad causas ciuium decidendas plene sufficient: quibus duabus rebus ius certum in ciuitate efficitur.

§. 5.

Quantam in hoc genere curam Principes Saxoniae omni tempore adhibuerint, quam plurima legum ab ipsis in patria nostra latarum monumenta docent. Quid enim, vt' illustrioribus quibusdam exemplis utar, *Constitutiones Avgvsti* protulit, quae ad hoc usque tempus praecipuum iuris priuati domestici fontem constituunt, nisi dissensionum, quae seculo decimo sexto Iureconsultorum in Saxonia collegia agitabant, tollendarum studium <sup>b)</sup>? *Decisiones*,

A 3 tum

<sup>g)</sup> consuetudinaria enim iura praecipua iuris incerti speciem esse existimo. Aptissime in hanc rem *Pomponius* scribit in *L. 2.* §. 3, π. de O. I. exactis regibus iterum coepisse P. R. *incerto magis iure et consuetudine agi*, quam per latam legem. Admiremur itaque eorum, qui nostra aetate nouas Bornssiae leges ipsere, sapientiam: utramque enim, quam textus assert, iuris incerti causam, procul a ciuitate sua abesse voluere. Vid. *Allgemeines Landrecht für die preussischen Staaten, Einleitung*, in primis: §§. 3. 8. 50. seqq. 64.

<sup>h)</sup> cfr. Acta comitior. Torganens. de anno 1570. vbi dicitur: *haben die Landstände angefucht wegen der ungleichen Urtheil in peinlichen und bürgerlichen Sachen die vornehmsten Juristen aus denen Universitäten förderlichst zusammen zu sodru, und Rath halten zu lassen, wie hinfüro einstimmig in denen Hofgerichten und Schöppenstühlen zu sprechen seyn möchte.* Electorem vero his precibus obsecu-

tum a IOANNE GEORGIO II. anno seculi insequentis sexagesimo primo<sup>i</sup>), tum a FRIDERICO AVGUSTO II. anno huius, in quo vivimus, seculi quadragesimo septimo editae<sup>k</sup>), non aliam habuere causam. Singulas vero leges afferte infinitum foret, quae de singulis modo iuris capitibus disponentes idem consilium sequuntur.

§. 6.

At enim uero mirandum est, in tanto principum nostrorum, ut iura ciuitatis certa redderentur, studio, plurima tamen, quae incertissima sunt, in iure nostro reperiri.

Quan-

obsecutum esse, ipsisque adeo Constitutionum originem deberi, omnis de earum ortu historia docet, ipseque Augustus in lege praemissa fatetur. cfr. HOMMEL de electore Augusto, Saxonie legislatore. Lips. 1765.

i) ita enim legislator in confirmatione Decisionum: als unsere getreue Landschaft, inquit: bey vorigen und nächsten Landtagen insgemein sich beklaget, welchergestalt die Facultäten, Schöppenstühle, und andere iudicia, bisher in vielen Fällen die Landes-Constitutiones nicht auf einerley Meinung ausgeleget, sondern von einander diffentiret, und ungleich gesprochen: so haben wir etc. cfr. Stoekmanni Pröl. Joannes Georgius II. Saxoniae et Lusatiae legislator. Lips. 1789.

k) vid. Mandat wegen der neuen Decisionen vom 2ten Jul. 1746. in Codice Aug. cont. T. II. pag. 349. quam datum esse dicuntur zur Vermeidung derer in einigen Rechtspuncten von den Dicasteris und sonst sich geäußerten differenten Meinungen.

Quantam, quaeso, opinionum discordiam deprehendimus, si Iureconsultorum de iure patrio disserentium praecipita aut legimus aut audimus? noti sunt dicasteriorum in pronunciando dissensus; quam saepe, proh dolor! certa iuris scripti norma deficiente ad doctorum praeiudicia et ad fallacem iuris consuetudinarii fontem in causis decidendis confugiendum est; haud raro etiam ipsa legis scriptae verba ita comparata sunt, ut multiplicem interpretationem admittant, adeoque notarum de ea ipsa re, quam decidere debent, dissensionum causam contineant. Possem equidem ea, quae dixi, multis atque luculentis exemplis ex iure domestico repetitis illustrare, quae mihi, dum causas civiles in foris tractarem, subinde se obtulerunt: sed hanc quidem vice uno tantum afferendo defungar, de quo hanc totam inscriptionem componere in animo est.

### §. 7.

Qua enim lege anno huius seculi tricesimo quarto hypothecarum tacitarum valor, quem Ordinatio processus recognita antea sustulerat, in Saxonia electoraliter restitutus est<sup>1)</sup>, ea inter omnes, quae vñquam latae sunt, incertissima mihi videtur, ut eius latori, cum ipsius verba conceperet, humani aliquid accidisse fatendum sit. Cum vero de dubia huiusce legis explicatione, scribendi occasione data, verba facere constituerim, omnem, quam institui, tractationem

<sup>1)</sup> Exstat lex ista in Codice Aug. contin. T. II. p. 297.

tionem *tribus* partibus absoluere posse mili videor. Nam frustra quis laborabit de legis nostrae sententia, inuenienda, nisi hypothecarum tacitarum naturam variasque ipsarum formas ex iure romano cognitas habeat atque perspectas:

quare huic argumento exponendo *primo* loco vacabimus.  
*Deinde*, ut origines istius, de qua quaerimus, legis, quod praecipuum interpretationis adiumentum est, recte intelligamus, qualia hypothecarum tacitarum fata in Saxonia electorali fuerint, enarrandum est. Quibus praemissis *denique* vtrum ex lege proposita certam sententiam eliceré possimus, periculum facere licebit.

### §. 8.

Quam primum igitur de hypothecarum tacitarum natura, origine, atque speciebus ex iure romano verba facturns, nolo omnē de isto argumento doctrinam plene exponere: quippe nimis longum id foret, et multi sunt, iisque haud contempnendi scriptores<sup>m)</sup>, ad quos lectores plura cūpientes ablegare possunt. Ea modo de ista materia summatim attingere lubet, quae ad intellectum legis saxonicae in rubro

com-

m) Omne de pignore ex iure romano doctrinam exposuit in primis WESTPHAL, in der systematischen Erläuterung der römischen Gesetze vom Pfandrechte. Lips. 1770. De historia pignorum tacitarum autem scriptores praincipi sunt LISCHE, de origine et acuitate tacitarum hypothecarum apud Romanos, Lips. 1732. et SCHNORR, praef. SEGERO in historia iuris civilis de pignoribus tacite contractis. Lips. 1772.

9

commemoratae necessaria esse existimo. Cum vero, quae libet, quae ex regulis artis suscipitur, de re aliqua disputatio, CICERO recte praecipiente, debeat a definiitione proficisci, a notionibus quibusdam explicandis nobis etiam egrediendum est. Vniuersali igitur *pignoris* appellatione, cui hypothecae speciem subiectam esse statim videbimus, apud Romanos ius in re aliena designari consuevit, in securitatem crediti creditori constitutum, vi cuius, ut ex rei substantia ipsi satisfiat, postulare potest.

§. 9.

Vtrum quidem Romani hunc pignoris nexum, vt multa alia instituta a Graecis acceperint, an forte iste domesticum ipsorum inuentum sit, non satis certo definiri potest, nec ad causam nostram multum refert: Graecos tamen pignorum iura non ignorasse, multis veterum testimoniiis comprobatur<sup>n)</sup>. Antiquissimo vero tempore Romani non aliud huius securitatis praestandae modum cognoverant, praeter eum, quo creditor rei oppignoratae possessor efficitur, atque ex hac ipsa *pignorum* vetustissima indole vocis originem explicandam esse haud inepit multi coniiciunt<sup>o)</sup>.

§. 10.

n) noti sunt Graecorum ἔργα, h. e. signa, quae fundis aedibusque oppignoratis fraudis evitandae causa apponere solebant, cfr. PETITI *leges atticas*, L. V. tit. 4. *lege 2da*, et L. VI. tit. 2. *lege 2da*.

o) sic CAIUS l. 238. §. 2. π. de V. S. *Pignus*, scribit, *appellatum a pugno, quia res, quae pignori dantur, manu traducuntur.*

B

unde

At enim uero sola possessionis rei oppignoratae in creditorem translatio parum securum ipsum poterat praestare: quippe, re forte amissa, cum conuentio inter duos inita aduersus tertium inefficax sit, neque possessio, quod ipsa eius notio docet, iuribus in rem competentibus accuseri possit, omni effectu, destituebatur. Quamobrem haec oppignorationis instituenda ratio a Iureconsultis reperta est, ut ipsum rei obligandae dominium per solemnem mancipationem vel in iure cessionem in creditorem transferretur, adiecto tamen, vnde huic toti negotio *fiduciae* nomen inditum est, pacto fiduciae, quo ad eandem soluto debito debitori mancipandam se obligabat p). Sic itaque actionis realis aduersus quemicunque possessorem instituenda beneficio creditor potitus est, cum ex mera pignoris obligatione non nisi personale remedium, quo aduersus ipsum debitorem uti posset, oriretur.

## §. 11.

Procedente tempore actio Seruiana proposita est, quae primum Romanis rei absque villa possessionis translatione credi-

*vnde etiam videri potest, verum esse, quod quidam putant, pignus proprie rei mobilis constitui. Vid. tamen MENAGII Amoenitates iuris ciuitatis, cap. 39. s. v. pignus.*

p) Hanc pignoris apud Romanos speciem in primis exposuit SCHVLTING in *iurisprudentia veteri anteiusustiniane* ad IVLII PAULI sentent. recept. L. II. tit. 13.

creditori obligatae praebuit exemplum. Aut enim, nam incertum hoc est <sup>q)</sup>, auctoritate SERVII SVLPICII, celeberrimi olim in libera Romanorum republica Iureconsulti, aut edicto Praetoris cuiusdam, cui SERVII nomen fuit <sup>r)</sup>, inductum est, ut locatori fundi rustici res coloni in fundum inuictas et in securitatem mercedis praestandae conuentione inita suppositas aduersus quemcunque possessorem persequi liceret <sup>s)</sup>. Quod cum ad alias obligationes mox transferretur, atque in assiduam iurisdictionem vigereret, nona rerum oppignorandarum forma exorta est, quam et a pignoris, quod proprie ita dicebatur, simplicitate et a fiduciae ambagibus haud paulo diuersam graeco hypothecae

## B 2

nomi-

<sup>q)</sup> IVSTINIANVS quidem §.7. *I. de act.* eam ex ipsius Praetoris iurisdictione substantiam capere dicit: sed saepe, quod auctoritate prudentum introductum erat, postea demum in Praetorum edicta receptum est. Hinc SEGERVS, in epistola SCHNORRI dissertationi, quam supra atulimus, subiecta, aduersus plurimorum, qui ad ins honorarium istam referunt, sententiam, SERVII SVLPICII responsis actionis Seruiana originem vindicat. Cuius tamen reliquam de ista actione orationem valde improbo: etenim non de fructibus fundi, sed de rebus a colono in fundum illatis concepta fuit.

<sup>r)</sup> SERVIUS enim SVLPICIVS, ICtus, Praeturam urbanam nunquam administrasse videtur. cfr. EVER. OTTONIS vitam Seruii Sulpicii, ICti. cap. 10. sect. 2.

<sup>s)</sup> sic actionis Seruiana naturam explicat §.7. *I. de act.* ad quem locum conferantur Interpretes, in primis EVERHARD OTTO et JANVS A COSTA.

nominē <sup>t)</sup> insigniebant. Atque haec ipsa, vt fiduciarum scrupulosa solennitas sensim in desuetudinem abiret, esse-  
cit: nam pignoratius etiam creditor exinde, possessione  
pignoris forte amissa, actionem in rem instituere poterat,  
quam, ad exemplū actionis Seruanae, quasi Seruanae  
actionis nomine appellabant <sup>u)</sup>. Sic plane *triplicem*, quam  
descripsimus, pignoris speciem *ISIDORVS* <sup>v)</sup> distinxit,  
quem locum, cum in hac causa praecipuis sit, totum ex-  
scribam: *inter pignus*, inquit, *et fiduciam et hypothecam hoc*  
*interest*. *PIGNVS* est enim, *quod propter rem creditam obli-*  
*gatur*; *cuius rei possessionem solam ad tempus consequitur*  
*creditor*, *caeterum dominium penes debitorem est*. *Fiducia*  
*est*, *cum res aliqua sumenda mutuae pecuniae gratia vel man-*  
*cipatur*, *vel in iure ceditur*. *Hypotheca* est, *cum res ali-*  
*qua commodatur*, seu, *vti NOOTIVS* <sup>w)</sup> legendum esse  
monet,

<sup>t)</sup> quod MARCIANVS *I. 5. §. 1. π.* de pignor. et hypoth. dicit:  
*inter pignus et hypothecam tantum nominis sonus differt*, id de  
grammatica utriusque vocis significatione accipendum esse cen-  
so; in sensu iuris enim pignus et hypothecam re ipsa valde dif-  
ferre, ex iis, quae in textu dicta sunt, satis appetet.

<sup>u)</sup> vid. *§. 7. I. de act.* ita quoque, nempe de actione quasi Ser-  
uana in rem ipsam instituenda, *interpretor I. 17. §. 2. π.* de  
*pactis*, *de pignore iure honorario nascitur pacto actio*. Quis enim  
dubitet, actionem in personam propter pignoris traditionem iur-  
ciuli competuisse.

<sup>v)</sup> *Origg. L.V. c. 25.*

<sup>w)</sup> in *Observationibus*, *I. II. c. 7.*

monet, *obligatus*, vel, si mauis, *connodatus*, *sine depositio-*  
*ne pignoris, pacto vel cautione sola interueniente.*

§. 12.

De pignore atque fiducia hoc quidem in loco amplius dicere non est necesse: ad hypothecas vero quod attinet, quae vberius tractandae sunt, plures, quae explicari merentur, earum differentiae in iurisscientia occurunt, sed eorum duas tradidisse ad nostrum consilium sufficiens erit. Nam primum quidem illae aut vniuersitatem bonorum afficiunt, aut rem singularem, vnde hypothecae *generalis* atque *specialis* notabile discrimen enascitur. Deinde aut in libera debitoris voluntate, aut in necessitate iuris ipsarum acquisitione fundatus, quare pignoris *voluntarii* atque *necessarii* species distinguere solent.

§. 13.

Postremum huius imprimis loci est: quamvis enim nonnunquam iudicis ex praescriptis legum iudicis constitutis decretum requirat, quo in casu *iudicialis* pignoris nomine nuncupatur, praecipua tamen ipsius forma haec est, quae sola lege iubente bonis debitoris adhaerescit; quibus verbis *hypothecae legalis*, quae etiam tacita audit, notionem explicasse mihi video. Male quidem faciunt, vii SCHNORRIVS \*) praclare demonstrauit, qui hypothecarum tacita-

B 3 rum

\*) in dissert. laud. §. 7.

rum apud Romanos originem ab actione Seruiana arcessendam esse existimant: haec enim ad hypothecam expresso pacto constitutam solummodo spectauit. Sed hoc profecto verissimum est, ante huiusc actionis introductionem taciti pignoris formam apud Romanos non adfrisse, eamque ipsam demum, ut locum habere posset, effecisse. Cum enim ex recepta SERVII sententia sola de pignore conuentio, etsi nulla rei obligatae traditio accesserat, actionis in rem aduersus quosvis possessores instituendae facultatem praeberet, conuentiones autem non expresso solum, sed tacito etiam consensu iniri possent; mox vterius aut Iureconsultorum auctoritas, aut, quod verius videtur, Praetorum iurisdictio progressa est. Nam tacitae conuentionis speciem praetendentes y) pignoris nexum in certis quibusdam causis, quas infra enumerabimus, inter eos etiam adesse voluerunt, inter quos hypothecae constituendae nulla unquam mentio injecta erat, atque hoc modo tacitarum hypothecarum et species et nomen in ius romanum intrauit.

## §. 14.

y) huic commento tacitas hypothecas originem debere, dilucide comprobant ipsa legum verba. L. 4. π. de pactis, quia conuentiones, ait, tacite valent, placet in urbani habitacionibus locandis invecta illata pignori esse locatori, etiamsi nihil nominatum conueniret. L. 4. pr. π. in quib. caus. pign. tac. contrah. haec verba habet: eo iure utimur, ut, quae in praedia urbana inducta illata sunt, pignori esse credantur, quasi id tacite conuenerit, add. l. 3. l. 7. pr. π. ocd.

## §. 14.

Neque diu illae intra hos, quos tacitae conuentionis angustiae determinant, fines substitere. Imperatores certe romani nulla amplius iuris commenticii <sup>z)</sup>, cui Praetores in hac causa insistebant, ratione habita, solam legis dispositionem ad fundanda taciti pignoris iura sufficere rati sunt, unde hypothecas, quas statuere, legales potius, quam tacitas appellaueris. Ex utroque vero fonte, quae species deinceps exortae sint, temporis, quantum fieri potest, ratione habita, strictum iam explicabimus.

## §. 15.

Et antiquissimas quidem tacitae hypothecae apud Romanos formas eas fuisse, quae praediorum locatoribus et mercedis causa et ob dannorum forte datorum reparacionem, si praedium urbanum erat, in iunctis illatis inquiliini, sin rusticum, in fructibus fundi competebat <sup>a)</sup>, omnes concedunt. Nam tanta est earum cum hypotheca expressa, de qua actio Seruiana proposita est, conuenientia, ut huic actioni tempore aequales fere fuisse, haud temere statuatur: saepe enim apud Romanos factum esse animaduertimus, vt

si

<sup>z)</sup> de iure commenticio vid. PÜTTMANN *Probabil. iur. II. 1*

<sup>a)</sup> *praedia rustica* in hac quidem iuris romani materia eadici, quae *fructuum* percipiendorum causa, *urbana* vero, quae *rendi* gratia conducta sunt, egregie demonstravit Adolph Dietrich WEBER in den Beiträgen zu der Lehre vom stillschweigenden Conventional-Pfandrechte. (Schwerin 1783.) I. §. 1. Ann.

si quid eiusmodi esset, quod legi contractus ex vulgari hominum consuetudine inseri soleret, id tacite partibus placuisse statuerent, etiamsi nominatum non esset expressum<sup>b)</sup>. Vtra tamen altera prior fuerit, quamvis multi docere studuerint<sup>c)</sup>, non facile desiniri posse existimo.

## §. 16.

Posthaec M. ANTONINVS PHILOSOPHVS primus pignora tacita ampliauit. Nam creditoribus in restitutio-  
nem aedificiorum pecuniam mutuam dantibus aedes refectas ipso imperante, Senatusconsulto facto, suppositas esse, ex certo legum romanarum testimonio elucet<sup>d)</sup>: quam tacitae hypothecae speciem ad solas aedes aliena pecunia restitutas, nequitiam vero ad aedes nouiter exstructas, aut ad aliarum rerum reparationem pertinuisse, SCHNORRIYS in libello saepius

b) Sic, cum servitus oneris ferendi aedibus imponeretur, in lege contractus ita fere scribebatur: *paries oneri ferundo uti nunc est, ita sit.* Sed etiamsi haec verba omissa essent, tamen ius erat cogendi aduersarium, ut resiceret parietem ad oneri sustinenda. Vid. I. 33. *π. de servitut. praed. verb. coll. I. 6. §. 2. π. si ser- uit. vindic.*

c) legat, qui talia cupit, LISCHKII dissert. Iand. §. 6. seq.

d) I. 1. *π. in quib. caus. pign. tac. contr. Senatusconsulto, quod sub MAREO Imperatore factum est, pignus insulae creditori datum, qui pecuniam ob restitutio-*nem aedificii exstrucendi mutuam dedit, ad eum quoque pertinebit, qui redemptori, domino mandante, nummos ministravit.**

saepius adducto <sup>e)</sup> ita demonstrauit, vt Aethiopem lauare velle viderer; si vel verbum de isto argumento adiicerem. Sed induci etiam me patior, vt priuilegium, quod impuberribus atque minoribus in bonis tutorum et curatorum concessum est, aduersus plororumque sententiam, ad eundem Imperatorem referam. Etenim CONSTANTINVM M. istud introduxisse, cum in ea, ad quam prouocare solent, lege de iure dudum constituto aperte rescriperit <sup>f)</sup>, nunquam mihi persuadebitur.

§. 17.

Porro Iureconsulti, quorum fragmenta Pandectae nobis seruarunt, quosque CONSTANTINO maximam partem anteriores fuisse nulla dubitatio est, eius iuris mentionem nonnunquam iniiciunt; qua enim alia ratione MODESTINI, MARCIANI, IVLII PAVLI denique verba in locis infra commemoratis <sup>g)</sup> accipi possint, nullo modo intelligo:

ipsum

e) §. 10.

f) l. 20. C. de administrat. tut. ex genere recriptorum esse, ex inscriptione intelligitur. Ipsa constitutio autem in haec verba concepta est: pro officio administrationis tutoris vel curatoris bona, si debitores existant, tanquam pignoris titulo obligata, minores sibi met vindicare minime prohibentur.

g) vidd. l. 49. π. locati. l. 1. §. 9. π. de l. Cornelia de falsis, quibus tutores et curatores a contractibus cum fisco ineundis sine dubio ob tacitam obligationem ipsorum bonis ex tutelae vel curiae administratione inherentem arcentur. l. 44. §. 1. π. de ad-

C

min-

ipsum etiam QV. CERVIDII SCAEVOLAE, qui MARCI tempore floruit, responsum, quod in *lege postrema Digestorum*, in quibus causis pignus tacite contrahitur, continetur, ad eandem speciem videtur pertinere<sup>b)</sup>). Accedit, ex constitutionibus quibusdam SEPTIMII SEVERI et ANTONINI CARACALLAE<sup>i)</sup>, quod ipsis regnantibus tutorum et curatorum bona impuberibus atque minoribus supposita fuerint, nisi quis in re aperta caecutire velit, luculententer intelligi.

## §. 18.

Iam vero quamvis certa argumenta, quibus M. ANTONINO PHILOSOPHO potius, quam aliis ante hos Imperatori hanc tacitae hypothecae formam vindicare possim, deficiant, eius tamen introductionem personae, quam per omne imperium gessit, apprime conuenire perspicio. Nonne enim, dum imperio praefuit, praecipua cura id egit, ut infirmae hominum aetati consuleret? Sic CAPITOLINVS<sup>k)</sup> narrat, eum praetorem tutelarem primi fecisse,

vt

ministrat. et peric. tut. privilegium, ait, pupillō post pubertatem competere in bonis tutoris venditis. add. l. vlt. 7r. de tut. et ration. distrab. quae tamen HERMOGENIANI est, qui CONSTANTINO aequalis fuit.

b) sed videtur saltem ex nonnullorum sententia ob tituli, cui inservit, inscriptionem: cfr. SCHNORR et LISCHKE in Disserrit. laud. nam ipsa legis verba ad taciti pignoris obligacionem spectare non putauerim.

i) l. un. Cod. ne tut. v. cur. veetigal. cond. quae istud ipsum ANTONINI

vt diligentius de tutoribus tractaretur: praeterea controuer-  
siis interpretum celebratissima est ea ipsius constitutio, quae,  
eodem scriptore testante <sup>1)</sup>), legis Laetoriae quinauicennia-  
riae curam minorum introducentis usum adauxit: Senatus-  
consulta, quibus partim, ne tutor pupillam vel filio suo vel  
sibi nuptum collocaret <sup>m)</sup>, partim, vt edictum Praetoris de  
satisfactione tutorum testamentariorum ad tutores etiam cum  
inquisitione datos transferretur <sup>n)</sup>, constitutum est, ad MAR-  
CI nostri Orationes composita sunt: de tutelis denique li-  
bertorum eum constituisse, idem CAPITOLINVS refert <sup>o)</sup>.  
Quibus omnibus coniecturam a nobis propositam firmari

## C 2

aper-

TONINI rescriptum continuere videtur, ad quod a ICTIS supra  
commemoratis prouocatur. *I. vn. Cod. rem alien. gerent. non interd. rer. suar. administr.*

- k) in vita M. ANTONINI PHIL. c. 10.
- l) ibid. de curatoibus, inquit, cum ante pon nisi ex lege Lactoria vel  
propter lasciviam vel propter dementiam darentur, ita statuit, ve  
omnes adulti curatores acciperent non redditis causis. Equidem vi  
meam de controuersa huius loci interpretatione sententiam affe-  
ram, legem Laetorianam, qua curae adulorum susceptio ad munera  
publica relata est, ne nimio onere ciues grauarentur, statuisse  
puto, vt minor curatorem sibi expetens grauem atque iustum  
sui desiderii causam afferre debere. Sed pleniorum huius rei  
licentiam ANTONINI constitutio, CAPITOLINO narrante,  
inuexit. Vidd. tamen RITTER ad HEINECCII historiam ja-  
ris romani, §. 99. et SEGERTI brevis curariorum historia in Ej. Opu-  
sculis a KLÜBERO editis. Vol. I. add. HETZER ad l. Laetorianam. §. 8.
- m) vid. l. 59. et l. 67. §. 3. π. de ritu nupr.
- n) vid. l. 19. §. 1. π. de testament. tut. o) l. 1. c. II.

aperissimum est. Caeterum ius singulare pupillis atque minoribus tributum ad reliquos etiam, qui ipsi rebus suis superesse nequeunt, ideoque sub cura degunt, procedente tempore extenderunt P).

## §. 19.

Proximi post MARCVM hypothecarum tacitarum auctores SEPTIMIUS SEVERVS et CARACALLA fuerint. Etenim ab his imperatoribus pignus tacitum pupillo in re pecunia ipsius emita competens initium cepisse, vnico VLPIANI<sup>9)</sup> testimonio conficitur. At enim uero difficilis dictum est, an fisci etiam prívilegium, quod partim ob residua tributa, partim ob obligationes contractu susceptas in vniuersis debitorum bonis locum habet<sup>r)</sup>, iisdem auctoribus, quod multi putant, vindicandum sit: quam equidem quaestionem nec affirmare, nec refellere aussum. Nam ei quidem legi<sup>s</sup>), ad quam, qui ANTONINVM PIVM huiusce iuris conditorem asserunt, pronocare solent, nullum tacitae hypothecae fisco competentis vestigium inesse, facile intelligitur. Exinde vero, quod in ANTONINI CARACALLAE rescriptis<sup>t)</sup>, quem

p) de furiosis saltē expressa legis dispositio adest in L. 7. §. 5. 6.

Cod. de curat. furiosi v. prod. cfr. WESTPHAL, l. l. §. 76. seqq.

q) in L. 3. pr. π. de rebus eorū qui sub tut. v. cura sunt etc. Verba legis clariora mihi videntur, quam quae, quod Westphal l. l. §. 100. Ann. fecit, interpretatione peruersti possent.

r) l. l. 2. Cod. in quib. caus. pign. tac. contrab. cfr. WESTPHAL, l. l. §. 74. 75. s) l. 10. π. de pactis.

t) quae, ut vidimus, exstant in tit. Cod. in quib. caus. pign. tac. contrab.

quem tamen cum patre suo de iuribus fisci saepe rescriptsse verissimum est, prima huius pignoris mentio iniicitur, eundem istud constituisse haud magis tuto colligimus. Nec hoc sufficit, quod SEGERVS <sup>v)</sup> opinatur, CARACALLAE ingenio, qui vectigalium pecuniarumque cupidissimus fuerit, istud conuenire. Quare huius hypothecae origo incerto relinquenda est.

§. 20.

Sequitur aliud pignoris taciti genus, quod in pupillorum fauorem introductum est. Cum enim THEODOSIVS IVNIOR lege generali proposita <sup>v)</sup> matribus facultatem concederet liberorum impuberum tutelam, si vellent, administrandi, inter alias plures hanc etiam conditionem adiunxit, vt, si ad secundas nuptias rationibus tutelae nondum redditis transirent, vitrici quoque bona rationibus parvulorum, ne forte isti ob vitricale <sup>w)</sup> odium periclitarentur, essent obnoxia. Consimilis fere ea est pignoris taciti forma, quam a LEONE I. repertam IVSTINIANVS vterius valere iussit <sup>x)</sup>. Odio

C 3 nempe

trab. Aliud vero argumentum huius sententiae auctores, quantum scio, non afferunt. <sup>u)</sup> in epistola supra laudata.

v) vid. l. 4. Cod. Theod. de mtor. et citrar. creand. unde desumpta est l. 2. Cod. Inst. quando mulier officio tur. add. Nov. Theod. V. l. 6. C. in quib. caus. pign. tac. contrab.

w) novum vocabulum esse confiteor: sed quidni istud eodem iure usurpare licet, quo TACITVS Anna. l. 6. noucrealia odia dixit.

x) cum enim LEO et ANTHEMIVS l. 6. §. 1. 2. C. de sec. nuptt. de solis matris bonis constituisserint, idem IVSTINIANVS ex l. 8. §. 4. C. b. t. in paternis bonis voluit obtinere.

nempe secundarum nuptiarum in legibus Principum romanorum saepius conspicuo, quod ex peruersa Christianorum, quae tum temporis fuit, disciplina originem trahebat <sup>y</sup>), hi Imperatores inducti, non modo ut parentes ad secunda vota transeuntes proprietatem bonorum ex hereditate defuncti coniugis acceptorum in cominodum liberorum prioris matrimonii solo vsufructu retento amitterent, statuerunt, sed etiam vniuersa ipsorum bona liberis ob hanc causam tacite supposita esse voluerunt.

## §. 21.

Tandem IUSTINIANI aetas, quam nouis iuribus producendis foecundissimam fuisse scimus, tacitarum etiam hypothecarum praecipue ferax fuit. Ipso enim iubente filiis familias, quorum bona a patribus administrantur, horum substantia maternaee hereditatis causa supposita est <sup>z</sup>). Idem legatariis ac fideicommissariis, quos ad ipsius usque tempora aut cautione petita aut missione in bona heredis impetrata securitati suae ipsos prospicere oportuerat, tacitam in hereditate hypothecam, quo plenius iis consuleretur, concessit <sup>a</sup>).

Eidein

y) nam spuria sine dubio est ratio, quam ex Iambis graecis a DIONODO SICULO, l. XII. relatis nonnulli repetunt, vid. potius SATTLER de causis constitutionum principum in corrupta Christianorum disciplina quaerendis. (L. 1789.) in introitu.

z) l. 8. §. 5. C. de sec. nuptt. neque enim vniuersi peculii aduentiti gratia illam hypothecam competitse, patet ex l. 6. C. de bonis, quae lib. Eam quoque, quae in priori lege statuitur, modo in casu secundarum nuptiarum obtinuisse censeo.

a) l. 1. Cod. commun. de legat.

Eidem denique Imperatori, seu THEODORAE potius, famosae eius vxori, (nam vxorium hominem in legibus etiam ferendis e coniugis arbitrio saepe pependisse, notum est <sup>b)</sup>) triplicis pignoris taciti origo debetur, quod in foeminarum fauorem tendit. Primum enim marito, cui in nuptiis contrahendis dos promissa neendum numerata erat, omnia pollicentis bona dotis promissae nomine obligari voluit <sup>c)</sup>: deinde ipsius vxoris securitati pignore tacito dotis nomine et paraphernorum etiam, quatenus quidem administrationi mariti concessa erant, causa constituendo prospectum est <sup>d)</sup>: eidem tandem res propter nuptias donatas et in mariti possessione constitutas tacito pignoris nexu subesse iussit <sup>e)</sup>. Atque sic quidem tacitarum hypothecarum, quae in iure romano obueniunt, recensionem ad finem perduxisse mihi videor <sup>f)</sup>.

### §. 22,

<sup>b)</sup> ipse Nov. VIII. cap. 1. fatetor, se in hac lege ferenda participem consilii sumuisse eam, quae a Deo ipsi data sit reverendissima coniux. cfr. STRUVII historiam iuris romani, cap. 3. §. 1. in notis subjectis, et SILBERRAD ad HEINECCIUS historiam iuris romani,

§. 383. not. xx.

<sup>c)</sup> I. un. §. 1. Cod. de rei vxor. act.

<sup>d)</sup> videatur lex eadem, iuncta l. II. C. de pact. conuent. tam super dore etc.

<sup>e)</sup> Nov. 61. cap. 1. Nov. 109. cap. 1.

<sup>f)</sup> nam, quas WESTPHAL, I. L. §. 100. ei, qui coniugi suo pecuniam donauit, in rebus ista pecunia comparatis, item militi in re pecunia ipsius emta, tribuit, eae sine dubio spuriae sunt, iisque, quae attulit, locis non comprobantur.

## §. 22.

Caeterum si plures earum species in eiusdem bonis forte concurrerent, temporis quidem inter eas ratio ut plurimum obseruata est: at vero ea pignora, quae, vt adhuc vidimus, in aedibus pecunia creditoris refectis, et in re nummis pupillaribus emta specialiter locum habebant <sup>g)</sup>, iure praelationis gauisa sunt; fiscus etiam in fundo tributario et in bonis post contractum cum ipso initum a debitore acquisitis <sup>h)</sup>; et vxor vna cum liberis, quatenus dotis nomine mariti et patris bona obligata habebant <sup>i)</sup>, debitores pignoratitios tempore anteriores praecesserunt. Praeterea pignora tacita publica, qualia ea voce, quae negotio publice gesto innitebantur, prae priuatis prerogatiua habuisse, nulla dubitatio est <sup>k)</sup>. Sed hactenus de iure romano dixisse sufficiat.

## §. 23.

Itaque peregrinatione finita in patriam nostram nos recipiamus, et hypothecarum tacitarum in Saxonia electorali fata paulisper persequamur. Priscam autem, vt Germanorum in vniuersum, ita Saxonum etiam simplicitatem illarum subtilitates plane ignorasse certissimum est. Pignoris quidem usum antiquissimo iam tempore habuere <sup>l)</sup>: quid enim magis

g) v. l. 5. 6. 7. π. qui potior in pign.

h) l. 1. Cod. si propter publ. pensil. l. 28. π. de inre fisci.

i) l. 12. Cod. qui potior in pign. coll. Avth. si quid etc.

k) cfr. WESTPHAL, l. l. §. 167.

l) Pignoris mentionem facit Lex Visigothorum, l. V. tit. 6. §. 3. lex Alemannorum, tit. 86. §. 2. Ius prouinc. saxon. l. 2. art. 24. art. 60. aliaque iuriis Germanorum antiqui monumenta.

magis naturale est, quam creditori de securitate nominis forte dubitanti rem aliquam obsidis loco tradi, vnde, si fides promittentis fallat, satisfactionem possit exigere. Neque vero pignoris datio, sitie res mobilis, sive immobilis esset, aliter apud veteres Germanos procedebat, nisi ipsa rei opiguratae, quid? quod iuris<sup>m</sup>) etiam praedio obligato fruendi in creditorem translatione. Fiduciarum autem difficultates<sup>n</sup>), hypothecarum etiam invenientur nullo modo cognoverant.

§. 24.

Sed inde a seculo duodecimo ac decimo tertio magnae iuris legumque mutatio sensim in Germania facta est, et ex eo inde tempore vna cum iure iustinianeo vniuerso ex Italia in patriam nostram immigrante pignorum etiam legalium usum accepimus. Et in Saxonia quidem singulas, quas ex iure romano commemorauimus, species, si ab ea, quam odio secundarum nuptiarum originem debuisse supra diximus, recesseris<sup>o</sup>), valuisse, exinde colligo, quod IOAN-

NES

<sup>m</sup>) cfr. RUNDE in den *Grundzügen des gemeinen deutschen Privatrechtes*, §. 221.

<sup>n</sup>) dominium pignoris apud veteres Germanos in creditorem non transisse in primis docuit RICCIUS de dominio pignoris germanicis. Goth. 1747. add. v. SELCHOW elementa iuris germanici priuati bodierni. §. 455. seqq.

<sup>o</sup>) eam hypothecae tacitae speciem in Saxonia penitus exulasse equidem non dixerim: at ad ea saltem bona quae coniux super-

D

stes

NES GEORGIVS I. in *Ordinatione iudicaria* anno seculi superioris vicesimo secundo edita, ne in eo titulo, cui inscribitur: *von dem füllschweigenden Pfande*, huius iuris species in Saxonia obuenientes recensere necesse haberet, ad solos ICtorum libros, in quibus illae deinceps enumerarentur, prouocauit P): istius vero aetatis ICtos in iure romano explicando vnice occupatos fuisse, ex historia iurisscientiae literaria notissimum est

§. 25.

Neque tamen legumlaatores Saxoniae, intra ea, quae romanae leges de hypothecis tacitis tradunt, subsistendum esse putarunt. Immo vero Romanorum de pignore legali doctrina constitutionibus Principum nostrorum partim aucta, partim accuratius constituta, partim etiam correcta est. Sic, vt potiora afferam, piis causis, quae apud Romanos taciti pignoris priuilegium non habuerant, cuncta debitorum bona tacito nexus obligari voluerunt q): filius familias porro non mater-

est non ex liberalitate defuncti coniugis, sed ex necessitate legis vel statuti apud Saxones de hereditate praedefuncti accipit, illa pertinere non potuit; quippe haec instar legitimae sunt, nec secundis nuptiis initio amittuntur.

P) tit. 45. §. 1. verbis: *die Fälle, in welchen die Rechte denen Gläubigern ein füllschweigend Pfand ohne ein Personal Privilegium geben, werden von denen Rechtslehrern an denen Orthen, da sie hier von zu handeln pflegen, nach der Länge erzählt, derowegen dieselben alle auhero zu wiederholen ohne Noth ist.*

q) vid. *Ord. Proc. sax. tit. 45. §. 3. 4.* notentur vero verba: *es soll aber*

maternorum solum bonorum sed totius peculii aduentitiae causa parentis bona subiecere <sup>r</sup>): fisci etiam pignus, quod apud Romanos ob residua tributa et propter obligationes contractu quae sitas locum habebat, ad ea, quae poenae causa ipsi deberentur, extenderunt <sup>s</sup>). Sic ciuitatibus atque collegiis, quod ex iure ciuili dubio non vacabat, tacitum in bonis administratorum pignus expresse concessere <sup>t</sup>): praeterea, quod ad eam in primis hypothecam attinet, quae uxoribus ratione dotium in bonis maritorum competit, partim, inde a quoniam tempore illam initium capere conueniat <sup>u</sup>), partim, de qua re legum romanarum interpretes vehementer inter se disputant <sup>v</sup>), quod tacitas quidem, non vero expressas anteriores hypothecas praecedere debeat <sup>w</sup>), diligenter praescriperunt. Sic denique cum pignus tacitum, quod in rebus propter nuptias donatis IUSTINIANVS foeminis tribuerat, ei, propter quam legalibus hypothecis constitutis mulierum commodis prospectum est, rationi parum con-

## D 2

## uenire

aber solches Recht allein auf Kirchen, Schulen und Hospitalien gemeint seyn — jedoch unter denen Schulen auch derer Universitäten und Stipendiarien-Gelder verstanden werden.

<sup>r</sup>) ibid. §. 2.

<sup>s</sup>) ibid. tit. 43. §. 5.

<sup>t</sup>) ibid. tit. 45. §. 3. inris ciuilis tamen interpretes vniuersitates in hac etiam causa iure minorum censeri volunt.

<sup>u</sup>) v. Constit. Augusti, P. II. c. 24. Ord. Proc. sax. tit. 43. §. 1.

<sup>v</sup>) utriusque sententiae rationes attulit WESTPHAL, l. l. §. 164.

Anm.

<sup>w</sup>) Ord. Proc. sax. tit. 43. §. 1.

uenire videretur, istud in foris Saxoniae non amplius atten-  
dendum esse praeceptum est <sup>x)</sup>.

## §. 26.

Hic vero cum diuturno tempore fuisse hypothecarum tacitarum in Saxonia status, ecce grauis earum aduersarius subito inter nostrates exortus est. GRIEBNERVS enim, exitius seculi huius ineuntis Iureconsultus, cuius opera FRIDERICVS AVGVSTVS I. in ordine iudicario emendando in primis usus est <sup>y)</sup>, istas iniquissimas esse atque saluti communi vehementer aduersari, ut varia eius de ea re scripta docent <sup>z)</sup>, plene sibi persuaserat. Censebat enim, ut ipse profitetur <sup>a)</sup>, eas coniunctas esse cum magno periculo et incommodo ciuium, per eas multos sine sua culpa fortunarum fecisse iacturam, imminutam esse auctoritatem iudicium, insfr-  
matam

x) ibid. §. 3. Quod vero in fendi hypothecas tacitas locum non inuenire, tum in Consr. Aug. P. II. c. 25. tum in Ord. Proc. tit. 45. statutum est, id ideo praetereo, quoniam ex natura fendi et ex iis principiis, ex quibus iuris romani in Germania usus aestimandus est, spontanea consecutione fluere mihi videtur. cfr. WEBERS Reflexionen zur Beförderung einer gründlichen Theorie vom heutigen Gebrauche des römischen Rechtes. Schwerin 1782.

y) vid. HOMMELII Literatura iuris. edit. I. pag. 165. seqq.

z) vidd. Ei. Programmata: de incommodis hypothecarum tacitarum. Lips. 1731. de argumentis, quae pro hypothecis tacitis afferuntur. Lips. 1732. de incommodis hypothecarum tacitarum in re pupillari. L. 1733.

a) in priori Programmate, pag. 2.

*matam fidem, auctas lites et disceptationes fori, fraudibus datam et oblatam occasionem.* Ipsius igitur opera praesertim effectum esse videtur, ut hypothecae tacitae in vniuersum omnes per *Ordinationem Processus saxonici recognitam*, quae anno huius seculi vicesimo quarto emissâ est, abolerentur <sup>b</sup>).

§. 27.

Ne tamen subita ista rerum conuersio iis, qui tacitorum pignorum iure adhuc muniti fuerant, vehementer damnosa esset, sapienti sane consilio sexennii vacatio conuersa est, intra quod expressis hypothecis constituendis aut sibi ipsi creditores consulerent, aut a iudice iis prospiceretur <sup>c</sup>). Sed multis magnisque difficultatibus tacitarum hypothecarum cum expressis cominutatio tum impedita est; quare variationem ab initio concessam ulterius proferre necessarium fuit. Atque sic duplii constitutione edita <sup>d</sup>) legis abrogatione, cuius modo mentionem fecimus, vim ad diem Michaelis anni tricesimi quarti usque suspenderunt. Cum vero ab hoc inde tempore legalis pignoris usus in Saxonia procul dubio cessare deberet, repente diuersam sententiam legislator

D 3

am-

<sup>b</sup>) *tir. 45. §. 1.* Damnationis formula haec est: die hypothecas tacitas, weil dadurch öfters große Gefährde, und besonders bey Concessibus creditorum vieler Aufenthalt verursacht werden, wollen wir hiermit gänzlich aufgehoben haben.

<sup>c</sup>) *ibid. §. 5.*

<sup>d</sup>) quas vide, in *Codice Aug. contin. T. II.* pag. 283. et 293.

amplectitur. Nam ante diem statutum <sup>e)</sup> istud de conservando tacitarum hypothecarum valore *Mandatum* perlatum est, cuius causa hunc omnem sermonem instituimus, et de eius interpretatione iam tertio loco dicemus.

§. 28.

Neque tamen hoc nisi lege cognita fieri potest; quare cum limites paginae non permittant, eius integra verba repetere, eam ex Codice Augustaeo contin. Tom. II. pag. 299. seqq. allegasse sufficiat.

Quo vero attentius hanc legem considero, eo luculentius intelligere mihi videor, duplēcēm istam interpretationem admittere, quarum neutra iustis rationibus dēstituitur. Nam primum multis argumentis defendi potest, omnes omnino tacitas hypothecas, quae ante ordinis iudicarii emendationem in Saxoniam valuerant, vñico legatariorum pignore excepto, per legem nostram restitutas fuisse. Quid enim? nonne ipsa eius inscriptio hanc sententiam firmat? quae cum his verbis: *wegen noch fernerer Beybehaltung der hypothecarum tacitarum, bis zu anderweiter Verordnung, composta sit, ius antiquum, quod ad Ordinationis Processus recognitac confectionem usque obtinuerat, hoc Mandato conservari debuisse, aperte docemur.* Deinde dispositiū legis verba ita sunt comparata, vt in alium sensum vix possint torqueri. Nonne enim cunctis, quibus pignora tacita in alienis

e) nempe d. 24. Sept. 1734.

alienis bonis ante ipsorum damnationem iam competierant, statim ab initio ea conseruantur? — nonne expressis verbis tacitas hypothecas *in genere* in Saxonia locum habere debere constituitur? — quid? vniqa exceptio, quae ad legatarios et fideicommissarios spectat, adiecta, nonne regulam antea positam magis confirmat? — Quae vero amentia est, cum illud ipsum, de quo agitur, verbis expressis ac apertis est definitum, interpretatione id contorquere ad eum sensum, qui a verborum significatione alienus est. Quod enim in legis introitu talis eius ferendae ratio assertur, quae quibusdam modo hypothecarum tacitarum speciebus propria est, nonne saepe factum esse videmus, ut ex singulari aliqua ratione lex de vniuerso genere disponens promulgaretur: nec magis eos moueri conuenit, quod nonnullas modo pignorum legallium formas nominatim legislator expresserit, quas in futurum inter ciues suos valere vellet; etenim, quod saepe fit, exempli modo causa adductae sunt. Quis vero neget, gravissimas esse rationes, quibus haec legis propositae explicatio innititur, et parum, fateor, abest, quin ipse in hanc sententiam discedam.

### §. 29.

Neque tamen argumenta deerunt, si quis forte ea modo pignora, quae expressis verbis in lege afferuntur, restituta esse contendere velit. Quis enim sine causa factum esse existimet, quod, cum triplici vice tacitarum hypothecarum formae quaedam in lege nostra commemoratae sint, easdem in singulis locis species legislator adduxerit. In introitu

troitu enim tacitarum hypothecarum, quas legis praeceptum fisco, piis causis, vxoribus, impuberibus, iisque, qui sub curatoribus degunt, omnibus, filiis familias denique adhuc tribuerit, dupli in loco mentio iniicitur: atque eadem plane species in dispositione legali ipsa, quae futuro tempore obtineant, recensentur. Qua quidem re reliquas ex mente legislatoris exclusas esse debere, aperte significari videtur: eamque interpretationem duae, quae in legis iatroitu occur- runt, voculae: *zum wenigsten*, egregie confirmant. Praeterea impari iure tum eas hypothecas, quae *Ordinatione Pro- cessus Recognita* prodeunte iam creditoribus competierant, quippe quae per legem nostram vterius valere iubentur, tum eas, quae postea forte oriturae sint, aestimandas esse, haud obscure innuitur <sup>f)</sup>.

## §. 30.

Accedit, cum in quatuor lege interpretanda ad eius ratio- nes in primis respicere necessarium sit, eas, quae in prooe- mio afferuntur, huius legis nostrae ferendae causas in has solum, quas expressit, pignorum legalium formas conuenire. Nonne enim locatorum securitati ea, quae in *Ordina- tione Processus Recognita* reperitur, sanctione aequa ac taciti pignoris iure prouisum est <sup>g)</sup>? Quid impedit, quo minus

cre-

f) verbis: *nicht allein bey denenienigen, so — — bey seinen Kräften annoch verbleiben, sondern auch — — etc.*

g) vid. *Ord. Proc. recogn. ad tit. 45. §. 4. add. K 1 N 2. Quaest. for. T. II. cap. 9.*

creditor, qui ad refectionem aedium pecuniam mutuam dedit, expressum in aedibus restitutis pignus sibi constitui curret? quo facto eandem plane, quam pignus tacitum ei praestaret, securitatem habebit. Aequalis mariti causa est, qui ob dotem promissam tacitae hypothecae iure olim fruebatur. Siue enim promittens pecuniam in praediis aut nominibus positam habeat, pignore expresso exigendo facile maritus sibi consulere poterit: siue talia fidei pignora in bonis pollicentis non reperiantur, quid proderit stipulanti friuola ipsius tacito nexu ei obligari. Hac duplici vero ratione, et, quod iis, quibus tacita pignora adhuc competiissent, expressa difficulter saepe subiicerentur, et, quod iisdem tribuendis eorum tamen securitati multo minus prospiceretur, ad tacitas hypothecas quasi postliminio in cuitatem reducendas legis nostrae auctorem commotum esse, in eius introitu fuse narratur.

## S. 34.

Neque tandem istud magnopere aduersatur, quod tacitas hypothecas *in genere* reuocari in lege exprimitur: quidni enim eas in genere restitutas esse contendere possimus, quae omnes restituta sunt, paucis exceptis. Atque haec etiam legis, de qua quaeritur, exponenda ratio, unde nomen huic opinioni pondus accedit, Pragmaticis testantibus in foro recepta est <sup>b)</sup>.

## Quid

<sup>b)</sup> vid. WINKLERVS ad BERGERI *Oeconomiam iuris*, pag. 382.  
KIOD *Quæst. forens. T. II. c. 9.* SCHOTT in *Instit. iur. saxon.* ex edit. HAVBOLDI. Pag. 348.

Quid multa: ea, quae hactenus disseruimus, apertissime docent, legis propositae sensum incertissimum esse, et magnus nae! mihi erit Apollo, qui, regulis interpretationis doctrinalis adhibitis, certam exinde sententiam elicuerit. Quo magis optandum est, ut Iureconsultorum de eius explicatione dubitationes ipsa Principis decisione tollantur!

Tantum.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-1192015415-238647692-18





VD 18

**ULB Halle**  
005 364 396

3





	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Centimeters	1	2	3	4	5	6	7	8	9

42

1798.3

IO INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
P R E T A T I O N E  
GIS DVRIAЕ,  
HYPOTHECARVM TACITARVM  
SECVLI TRIGESIMO QVARTO  
RESTITVTVS EST.

QVAM  
RISCONSVLTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
VA ELECTORALI VNIVERSITATE  
RFORDIENSI  
PRAESENTE  
NO WEISSMANTEL, ICTO,  
ESSORE, PANDECTARVM PROF. PVBL.  
CIVITATIS CONSULE SENIORE  
RADV DOCTORIS  
VE IVRE' LEGITIME  
NSEQVENDO  
H. L. Q. C.

MARTII MDCCVCVIII. *Druckfahne*  
ITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVTOR  
*S. CAROLVS ASTER,  
REGNR VGENSIS.*  
TVS IMMATRICVLATVS.

ERFORDIAE,  
IST. GOERLING, ACAD. TYPOGR.